



DE
LOCIS IN APOPLEXIA
AFFECTIS

EXERCITATIO
ANATOMICO-PATHOLOGICA,

QUAM

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE,

PRAESIDE

VIRO ILLUSTRIS, EXCELENTISSIMO,

IOANNE CHRISTIANO REIL,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT., THERAP. PROF.
PUBLIC. ORDINAR., FACULT. MED. H. T. DECAN.,
INSTIT. CLINIC. DIRECT., POLIATRO HALENSI,
IMPERIAL. ACAD. NAT. CURIOSOR. ET SOCIETAT.
HELVET. MEDIC. CORRESPOND. SODALI,

U T

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINEAT,



DIE XXIX. IULII MDCCXCV.

PUBLICICE DEFENDET

EMAN. FRID. HAUSLEUTNER,
PLESSA-SILESIUS.

HALAE,

TYPIS PATHEANIS.



V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,


ERNESTO FRID. SIGISMUNDO
HAUSLEUTNER,

MEDIC. DOCT. ET POLIATRO HIRSCHBERGENSI,

PATRUO, FAUTORI SUMME
VENERANDO,

NRG





NEC NON

V I R O

GENEROSISSIMO, PRAENOBILISSIMO

IOACHIMO SAMUELI

AB ELSNER,

REG. BORUSS. CUBICULARIO PRIMI ORDINIS,

DYNASTAE PAGORUM ZIESERWITZ ET
MICHELSDORF,


AFFINI AESTIMATISSIMO,

HOC SPECIMEN INAUGURALE

DEDICAT

A U C T O R





D

S

in
cu
da
pr
qu
ca
vi
fa
id
off
vel
feq

vul



DE LOCIS IN APOPLEXIA AFFECTIS.

I. MELETEMATA PRAEVIA.

I.

Saepe jam a summis auctoribus dictum hodieque in omnium oribus fertur, quamvis summe proficuae sint administrationes anatomicae ad dilucidandam morbi naturam, summopere tamen cavendum, praecipiti ac defultorio modo ex iis concludamus, quae post mortem invenerimus, ad praegressi morbi causam. Etsi nimirum, dum organicum adfuerit vitium aut mala partium internarum formatio, saepius ex cadaveris tandem sectione possumus certo id cognoscere, haud pauca tamen, quae nobis offerunt cadaverum perferutationes, phaenomena, vel effectus manifesti status praegressi morborum, vel sequelae tandem agonis ipsius esse videntur.

2.

Quod quidem praesertim demonstratur satis vulgari ac frequentissimo vitio, quod sanguis venarum

rum truncis majoribus, vel etiam minoribus contentus post mortem monstrat, dum vel nimis concretus ac atro aut atro-rubeo colore tinctus, vel polyposus etiam conspicitur. Haec quidem concrementa sanguinis, post morbos praesertim chronicos obvia, plerumque nihil signant, nisi statum eum, quem mortis accessus ipse summaque relaxatio vasorum sanguiferorum tunc contingens producere potest. Simili plane ratione videmus saepius intestina, maxime ieiunum et ileum, in cadaveribus eorum, qui febribus acutis exstinguebantur, valde inflammata, aut saltem eo rubore saturato tincta, ut inde ad inflammatorium eorum statum conclusio patere videatur. Non raro quoque conspicitur gangraenosus color, aut frascens vel tabida intestinorum structura, ex quibus vero quominus ad inflammationem praegressam concludamus, impedit varia plane ac longe diversa morborum indoles, quibus exstincti homines hoc vitium commonstrant, impedit quoque defectus signorum plenarius, quae praerogativas huius status efficere potuerint.

3.

Hoc praesertim valet etiam de ratiociniis circa ortum et causas apoplexiae. Extra vasa effusus sanguis, in sinus cerebri effusum serum saepius conspicuntur in cadaveribus eorum, qui apoplexia exstincti sunt: eadem vero extra vasa effusorum humorum ratio in conspectum quoque venit absque ulla apoplexiae

apoplexiae suspicione: quod quidem THIERIUS 1)
 sequentibus verbis testatur: "Dissecui quindecim
 "cadavera hominum sexagenariorum aut nonagen-
 "riorum. Cerebri vasa inveni sanguine atro in-
 "farcta, in sinibus longitudinalibus et lateralibus
 "polyposa concrementa: apud alios seroso humore
 "plenos cerebri ventriculos. Omnes vero hi abs-
 "que apoplexiae suspicione extincti fuerant.
 "Multa e contraria parte aperui cadavera apoplexia
 "extincta, quorum encephali ne hilum quidem
 "effusorum humorum prodiderunt."

4.

Satis hodie vulgaris est illorum animadversio,
 qui nihil unquam praeter naturam in variis apoplexia
 extinctis cadaveribus se reperisse testantur. Non
 inficior tamen, hosce auctores a veritate omnino
 aberrare, si fidam in se quidem observationem nimis
 universalem facere atque ad quoscunque apoplexiae
 casus applicare conantur. Ita CASPARUS HOFF-
MANNUS 2) negat, praeternaturale quidquam in
 cerebri ventriculis observari, dum apoplexia ex-
 stinctus fuerit aeger. VAROLIUS quoque, eximius
 ceteroquin incisor, quaestionem movet: "Ecquis
 "ventriculos unquam sanguine oppletos vidit in
 "apoplexia?", 3) Nec majorem credit excremen-
 torum

1) Erfahrungen in der Arzneywissenschaft, S. 74.

2) Instit. medic. epitom. lib. III. c. 92. p. 439.

3) De nerv. optic. epist. 2. f. 17. a.

torum copiam in ventriculis cerebri apoplectici quam sani reperiri. BANGII experientis hoc praefertim confirmatur. 4) Vidit is senem sexaginta sex annorum, post prandium solito appetitu ingestum, de anxietate et dyspnoea quereantem, qui deinde apoplexia correptus post paucas horas expiravit. In pectore cadaveris, excepta levi adhaesione pulmonis dextri ad costas, omnia naturali modo se habuerunt, in abdomine nullus viscerum praeternaturalis status. In cranio paucum serum interpiam matrem et cerebrum, nec non in ventriculo laterali dextro. Hanc vero parcam collectionem causam apoplexiae hujus nominare vetat frequentior ejusdem ortus, ubi nullus tamen funestus exitus inde sequi visus est.

5.

Huc pertinet ampla illarum observationum caetera, ubi in cadaveribus apoplecticorum nullum in encephalo vitium observatum fuit, sed vel in thorace vel in abdomine status praeternaturalis, ut ex consensu pependisse hoc morbi genus videretur. Ita post mortem apoplectici, ne vel umbra quaedam vestigiorum morbi tam atrocis in encephalo apparuit. 5) Neque extravasatus sanguis, neque ullibi in cavitatibus cerebri serum effusum conspiciebatur. Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, cum processu-

4) Diar. nosocom. Hafn. vol. II. 1785. Mart. 10.

5) BONET. sepulcret. lib. I. sect. 2. obs. 57. p. 125.

processibus eorum omnibus et prominentiis, ubique firma et bene colorata, tum extra, tum intus per totum apparebant. Plexus choroides vel major, vel minor in initio medullae spinalis, immunes ab omni vitio: intra thoracem tantum laesi pulmones apparebant.

Simili omnino ratione vidit HAENIUS 6) naturalem vasorum cerebri statum, ut ne ullo quidem modo a sana constitutione aberrasse viderentur; unica vero apoplexiae causa latebat in cordis ventriculo sinistro, qui rigidus ac adeo firmus conspiciebatur, ut sanguinis motus ea ratione retardari et concrementa sanguinea oriri deberent, quae post mortem in conspectum venirent.

6.

Notissima est illa apoplexiae species, quam immaterialem vocare auserim, quippe quae, causis in systema nervorum immediate agentibus originem suam tribuens, subito saepius aegrum e medio tollit, sine ullo cerebri aut corporis apparente vitio. Studiis immoderatis, vigiliis nimis continuatis, animi affectibus exhausti aegri tali modo eripiuntur, sine materiali quodam vitio. Quodsi etiam post mortem praeternaturalia quaedam observantur, haec adeo vulgaris sunt, ut cuique fere morbo adscribi possint.

II.

6) Rat. med. contin, vol. III. p. 1366.

II. CEREBRI INTEGUMENTA.

7.

Curatius tamen inquirendum in historias sectionum, quae, quid inventum sit post mortem apoplecticorum docuerunt, cum inde, sin minus ad causas morbi, ad explicationem saltem symptomatum possit concludi, cumque tironibus via sit monstranda, qua, quid praeter naturam, quidve huic maxime morbo peculiare sit, eruere possint.

Etiamsi varius sit variarum partium encephali et aliarum partium status, quem post mortem apoplecticorum observavimus, rite tamen potest in eas distribui classes, quae vel supprimendo vel exhauriendo vires animi egerunt.

8.

Quod calvariae ossa attinet, miro modo diastasin illa passa fuisse, ut penitus a se invicem recesserint, testatur variis adductis exemplis BONETUS. 7) Quod vitium, commune satis in hydrocephalo apud infantes, in adultis quoque licet rarius, animadvertitur: supponit vero atrocissimum capitis dolorem et congestionem pertinacem versus encephalum, quibus vasa ita dilatantur, atque ventriculi eam patiuntur enormitatem, ut capitis futurae a se invicem secedant. In Hibernia hoc cephalalgiae genus frequentius occurrere, apud eundem BONETUM legitur, quod a palustris aeris effluvia

7) Sepulcret. lib. I. sect. 1. obs. 92. p. 51.

cacia pendere videtur. Similia exempla adduxerunt ETTMÜLLERUS 8), STALPAARTUS VAN DER WYL 9), FABRICIUS HILDANUS 10), MOLINETTI 11), HELWIGHIUS 12), PLATNERUS sen. 13), ipseque HALLERUS 14).

Narrat quoque immortalis MORGAGNIUS 15), cum celeberrimus RAMAZZINUS, septuagenarius, hemiparasia, aliisque apoplexiæ prodromis afficeretur, atque præcessissent aneurysmaticæ variarum arteriarum dilatationes, chirurgum quemdam, in hoc grandævo homine, RAMAZZINO nimirum, rem sane mirandam, calvariæ futurarum discessum, deprehendisse. Cum vero cadaver ejus dissectum non fuerit, recte an fecus conjecerit chirurgus, sciri non poterat; credibile tamen MORGAGNIO videbatur.

9.

Haudquaquam deinde rara est observatio, quod, demtis integumentis cutaneis calvariæ, sanguis per poros ejusdem, aut per emissaria potius vasa transsudaverit, aut vere stillatum defluerit 16).

Quod

8) Prax. lib. II. sect. 2. c. 3. art. 7.

9) Cent. I. obs. 1.

10) Cent. II. obs. 7.

11) Dissert. anatom. pathol. p. 40.

12) Eph. nat. cur. Cent. X. obs. 31.

13) Dissert. de ossium epiphyse. §. 37.

14) BOERHAAVE prælect. academ. §. 304. n. h.

15) De sedib. et causis morborum. ep. III. n. 8.

16) WEPFER observ. de affectibus capitis, n. 144. p. 682.

Quod vero in iis tantum casibus obtigisse videtur, ubi sanguis per totam cerebri superficiem effusus esset, aut ubi stagnaret intra ventriculos abundantis copia.

Satis vero vulgaris est animadversio, capita apoplecticorum dissecta abundantem exfillasse sanguinis copiam, quo facto ventriculi cerebri vel vacui vel vero adhuc pleni sanguinis conspiciuntur. Testes affero MORGAGNIUM 17) et BANGIUM 18). Serosae aquae etiam non pauca omnino copia effluxisse visa est, cum cranium perfectetur: ventriculi vero laterales tantum hoc casu parum aquae continebant, ac vasa menyngum solito turgidiora, inter menynges quoque massa gelatinosa effusa erat 19).

10.

Observatae deinde sunt plures foveae ab interna parte in substantiam cranii productae, quae pelluciditatem eorum producerent locorum, ubi observabantur. Vedit has quidem foveas in melancholicis, maniacis, epilepticis satis frequenter egregius auctor GREDINGIUS. 20) In nostro quidem morbo oriuntur a folliculis vel fungosis tuberculis durae menyngis, quae sensim adaucta mole impressiones denique in cranium efficiunt,

11.

17) Ep. III. n. 26.

18) V. L. a. 1783. Oct. 9. 1784. Mart. 9.

19) MORGAGNI, ep. III. n. 14.

20) Vermischte Schriften, Th. II, S. 84. 285.

11.

Praeter exostoses satis frequentes, visae sunt quoque fracturae et fissurae ossium cranii, quae, cum singularem constituant statum, merito hic praetermittuntur.

M e n y n g e s.

12.

Concretas praeter naturam meninges cum cranio et inter se frequenter viderunt dissectores optimi, quod a congestione sanguinea et lymphatica versus vasa meningum et encephali pendere videtur. Congestio enim, sive activa fuerit, sive passiva, transsudationem lymphae organicae promouet, quae inspissata congelare atque secum intime necere solet partes, quae congestionem patiuntur. Non raro vero hae concretiones, filamentorum aut membranarum lymphaticarum ope productae, in mortis agone ipso demum ortae esse videntur, ubi relaxatio universalis et dilatatio vasorum praeternaturalem efficit effluxum lymphae organicae, quae quantas possit excitare adhaesiones intestinorum, quantas denique concretiones pulmonum cum pleura, cuique notum est, qui paucas tantum sectiones cadaverum instituerit. Ubi vero firmior fuerit membrana nectens, ubi praesertim vasis sanguiferis instructa conspicitur, omnino ante mortem adfuisse debet, atque aliquid facere potest ad apoplecticam mortem producendam. Dum enim
 immo-

immobiles sunt cerebri membranae, alternus ille motus cerebri, quod elevetur in expiratione, deprimatur in inspiratione, aegre fieri potest: hinc itaque sanguinis motus per encephalum retardatur et summa tantum molestia exercetur. Sic BONETUS vidit, duram menyngem versus tempus sinistrum, amplitudine dimidii thaleri, robustissimis filis cum cranio cohaerere 21). ENGELIUS observavit amplius adhuc patentes cranii cum menyngibus concretiones, quae absque laesione partium dirimi non poterant 22). MORGAGNIUS quoque saepius haec invenit concreta, quae cum turgore summo vasorum fere semper simul aderant 23).

13.

Glandulosa praeterea corpuscula, seu fungosae excrescentiae ad utrumque sinus faliciformis latus, coloris lividi, vel cruenti, vel pallidi observabantur non raro, tanquam sequelae, congestionum nimirum versus encephalum. Quodsi revera glandulae lymphaticae adsunt in cerebri membranis, (quod quidem credibile est, cum MECKELII nostri, 24) MASCAGNI, 25) CRUIKSHANKII, SCHREGERI aliorumque testimoniis lymphaticorum vasorum existentia in encephalo confirmetur) nihil nos impedit,

21) Obf. 40. p. 114.

22) SCHMUCKERS vermischte Schriften, Th. I. S. 274.

23) Ep. III. n. 11.

24) De labyrinth. auris hum. content. §. 31.

25) Ueberf. von LUDWIG S. 96.

pedit, quominus hos fungos etiam ex tumoribus glandularum ortum traxisse contendamus. Haec quidem corpuscula glandulosa superficiei menyngum in apoplecticis inhaerentia manifesto conspexit LANCISIUS: 26) viderunt quoque SANDIFORTIUS 27) et BANGIUS. 28)

Satis vulgaris deinde est feri abundantia enormis inter duram et piam matrem, quo tota encephali superficies inundabatur. Limpidam aquam inter piam et duram menyngem viderunt BONETUS et MORGAGNI, stagnantem inter utramque membranam, neque tamen inde informanda cogitatio de serosa natura apoplexiae, cum saepius atri cruoris insignis copia simul cum hac serosa colluvie in ventriculis cerebri existet, cum praeterea vasa menyngum fere semper simul sanguine cruento magnopere turgeant. De hoc vero postea adhuc uberius loquar.

Multoties etiam haec serosa colluvies lymphatica potius aut gelatinosa videtur, quod ex coagulatione post mortem in omnibus corporis humoribus obvia declarari posse videtur. Sic BONETUS vidit interstitium totum inter menynges et cerebrum pituitae gelatinosae ea copia repleti, ut spongia detergeri deberet. 29) Concretiones gelatino-

sa

26) De subitan. mort. p. 120.

27) Exercit. academ. lib. II. c. 3.

28) Vol. I. 1784. Maj. 9.

29) Obs. 36. p. 108.

fas inter membranas cerebri fere assiduo vidit
in cadaveribus apoplectorum summus MORGAG-
NIUS. 30)

In sinibus quoque durae matris, in falciformi,
cavernosis, petrosi, occipitalibus, feri aut lymphaticae
gelatinae abundans copia a spectatissimis aucto-
ribus visa est. 31) Polyposa tamen aut gelatinosa
concrementa in sinibus durae matris observata sunt,
sine ulla apoplexiae praegressae suspicione: 32)
quod quidem ex iisdem argumentis declarari potest,
quae jam antea de efficacia agonis proponebantur.

15.

Vacuos vero sinus, atque tum sanguine tum
ferosa colluvie expertes invenerunt disectores in
iis plerumque casibus, ubi vasa menyngum et
cerebri praeter modum turgida essent, aut ubi san-
guis effusus totam superficiem cerebri inundasset. 33)
Ad hos itaque casus vetus illa apoplexiae theoria,
quod nempe ex sinuum repletione spirituum ani-
malium cohibitio et ipse morbus explicandus sit,
applicari posse haudquaquam videtur.

16.

Nonnunquam etiam vasa menyngum sanguine
turgidissima, vel denique disrupta apparebant,
quod

30) Ep. II, n. 22. f.

31) TULP. lib. I, obs. 27.

32) WEIKARD I, c. p. 542.

33) MORGAGNI ep. III, II. 24. IV, 19.

quod BANGII praesertim observationibus confirmatur. 34) Atram aut fuscam, a sanguine sub eadem effusum, duram menyngem vidit MORGAGNIUS. 35) Sub tenui menyngē idem bullas aqua repletas: 36) BANGIUS piam matrem vidit in loborum posteriorum margine adeo incrassatam, ut e pluribus quasi corpusculis duris et albidis composita esse videretur. 37)

17.

Offificatio menyngum praesertim in sinu falciformi haud adeo rara est nostri morbi causa. Ab ANTONII CATTI, Neapolitani, inde temporibus saepius inventa sunt ejusmodi ossa in sinibus cerebri: quanquam non ubique apoplexiae aut mortis causam constituere viderentur. Namque frequentes existant observationes, a MORGAGNIO allegatae, 38) ubi ne capitis quidem dolor hac praeternaturali conformatione excitatus fuerit.

Neque tamen inficiaberis, posse omnino haec ossa pungendo, comprimendo, morbis quibusdam et praecipue suppressioni vis animalis, occasionem praebere: quod quoque experientia confirmatur. Sic LANCIUSIUS vidit tendines laterales sinuum durae

B 2

matris

34) Vol. I. 1783. Oct. 9. 1784. Mart. 9.

35) Ep. IV. n. 21.

36) *Id.* n. 26.

37) Vol. I. 1783. Oct. 10.

38) Ep. III. n. 21. — Cf. HALLER opp. min. vol. III. obs. 61. p. 363.

matris in osseam naturam degeneratas: 39) sic SCHEIDIUS celebrem suum tractatum, ex observatione ipsa in apoplectico instituta, conscripsit. 40) MORGAGNIUS quoque vidit ossiculum, duplicatura processus falci-formis interceptum, limbo inferiori propius et secundum longitudinem positum, tres digitos transversos, eoque amplius, longum, sesquidigitum ferme altum, mediocriter et inaequaliter crassum, in cadavere hominis, qui apoplexia deceferat. 41) Apud STOLLIIUM legitur similis observatio de osse pollicis longitudine sinui falci-formi inhaerente, post mortem apoplectici reposito. 42) Excrecentiam quoque osseam in sinu falci-formi, cum serosa colluvie inter cerebrum et meninges observavit BANGIUS. 43)

III. CEREBRUM IPSUM.

18.

Quod cohaesionem primum ac firmitatem cerebri attinet, justo staccidius illud inveniri, quoties serosa inprimis colluvie laborat, nonnunquam etiam in sanguineis extravasatis, vulgaris est observatio. Siquidem PLATERUS jam adeo fluidam cerebri

39) De subit. mort. p. 68.

40) De duobus ossiculis in cerebro deprehensis, in HALLER. differt. practic. vol. I. p. 213.

41) Ep. III. n. 20.

42) Rat. med. vol. I. p. 200.

43) Vol. II. 1785. Maj. 7.

cerebri substantiam deprehendit; ut sectis menyn-
gibus penitus efflueret. 44) Mollissimum cere-
brum in serosa cerebri colluvie fere semper in-
venerunt WEPFERUS, 45) MORGAGNIUS, 46) BAN-
GIUS, 47) STOLLIUS 48) aliique. In collectioni-
bus praeterea sanguinis effusi non rarum est,
cerebri substantiam praeter modum flaccidam esse
atque molliusculam, etiamsi meninges solito cras-
siores fuerint. Sic TULPIUS, 49) MORGAGNIUS, 50)
WEPFERUS, 51) BANGIUS 52) observarunt, cum
sanguinis turgore in vasis et suffusionibus ejusdem
cerebri substantiam justo flaccidorem inveniri.

Quae quidem insignis cerebri mollities inde
pendere videtur, quod stagnantes humores sanguinei
vel serosi afficiant substantiam cerebri, atque disso-
lutionem quamdam tabidam, seu teneritudinem
fibrarum cum depravatione junctam producant.

Nihilo tamen minus nonnunquam cerebri
substantiae ea animadversa est firmitas, qualis
vel in statu sano observabatur, vel quae etiam sta-
tum naturalem superabat. Firmum invenit cere-
brum

44) BONET. obs. 54. p. 124.

45) Observ. de apoplexia, p. 19.

46) Ep. IV. n. II.

47) Vol. I. 1782. Mart. 9. 1783. Febr. 7.

48) Rat. med. vol. I. p. 199.

49) Lib. I. obs. 27.

50) Ep. II. n. 9.

51) Observ. de apoplex. p. 8.

52) Vol. I. 1782. Jul. 4.

brum apoplectici BRUNNERUS, 53) firmissimum omnino in serosa colluvie MORGAGNIUS. 54)

19.

Superficies deinde cerebri vel univ[er]sa vel partialis solet sanguinis vel feri copia insolita obducta esse, ut totum fere cerebrum fuscum aut atrorubrum per membranas transpareat: simul fere semper adest turgor vasorum. Hic enim motum sanguinis retardatum, stases ejusdem atque effusiones praeternaturales in cellulas aut in cavitates naturales aut in interstitia cerebri et menyngum indigitat. Qui quidem turgor vasorum sanguiferorum aequè frequens est in serosis ac in sanguineis suffusionibus. Ita sanguinem coagulatum inter lobos posteriores et duram menyngem invenit MORGAGNIUS. 55). Ad originem medullae spinalis collectionem sanguinis grumosi cum turgore summo vasorum alibi invenit. 56). Saepius in basi cerebri, nonnunquam ubique in tota cerebri superficie, inventus est copiosissimus sanguis ex vasis turgidis manifesto effusus. 57)

A

53) Eph. nat. cur. dec. III. ann. 1. obs. 153.

54) Ep. IV. n. 16.

55) Ep. II. n. 17.

56) *Ibid.* n. 20.

57) WEEFER obs. de apoplex. p. 12. — BONET obs. 13. p. 88. — MORGAGNI ep. III. n. 2. 14. 18. IV. n. 26. — BANG 1783. Oct. 9.

A turgore vasorum venosorum id phaenomenon praecipuis derivandum, quod, dum assulatum incideretur cerebrum, puncta rubra iusto plura, imo copiosissima, innumera in conspectum venirent, ut etiam ex omnibus fere punctulis amplum sanguinis flumen emanaret.

20.

Manifesta non raro laesio vasorum cerebri et ruptura eorum a nimia dilatatione contingit, unde vel sola effusio sanguinis in superficie cerebri ac inter eam et meninges, vel collectio intra propriam cavitatem, formatam a sanguine extra vasa effuso. Cavitatem hanc in hemisphaerio dextro, atro sanguine plenam, invenit WEPFERUS, orta autem videbatur ex rupta arteria carotide laterali, quae vacua inde conspiciebatur. 58) Similem invenit COLIUS: 59) WEPFERUS quoque tumorem cerebro incumbentem, atro sanguine plenum, circa quem fluida cerebri substantia conspiciebatur. 60)

Egregie praesertim MORGAGNIUS descripsit ejusmodi cavitatem a sanguine e ruptis vasis effuso formatam. Cerebri enim sanguifera vasa conspecta sunt in cadavere apoplectici non solum turgidiora, sed etiam duo aut tria in tenui meningy

58) Observ. de apoplex, p. 8.

59) Philos. transact. vol. XV. n. 173. p. 1068.

60) Observ. de capit. affect. 145. p. 678.

nynge non parvula foramina, per quae sanguis inter utramque menyngem exierat. Ducebant enim ea foramina in amplum quoddam cavum in medullari substantia secundum longitudinem efformatum, inter latus hujus externum et lateralem ventriculorum, sic ut latitudine transversos; digitos duos, longitudine sex aequaret. Id cavum inaequalibus et quasi erosis parietibus comprehensum et sanguine grumoso plenum, cum eo ventriculo posteriora versus communicabat, in eumque mediocrem sanguinis copiam effuderat, cujus parva portio, rupta posteriore septi lucidi parte, in ventriculorum sinistrum transierat; sanguis autem in utroque ventriculo se in laminam conformaverat. Sed et alibi vas ruptum aliquod fuisse videbatur, cum sub transverso quoque durae menyngis processu, sub quem a cavo ejus menyngis cerebrum complectente nullum secundum naturam esse aditum notum est, sanguinea esset lamella mediocri quidem crassitudine, sed totum contegens cerebellum: quin etiam in spinae tubo, quousque desuper licebat introspicere, sanguis circum medullam spinalem fuit. 61)

In alio cadavere similem cavitatem in medullari substantia invenit, atro sanguine plenam, quae patebat in ventriculorum sinistrum, et cujus ortum ex ruptis aneurysmatibus explicare fatagit. 62)

Nonnunquam etiam praeternaturalis ejusmodi cavitatis

61) MORGAGNI ep. 3. n. 2.

62) *Ibid.* n. 8.

vitas mucō semificcato, pituitoso referta conspici-
batur. 63)

Curatius descripsit, icone quoque bella illustra-
vit TREUTLERUS hoc vitium: namque, vacuis cere-
bri vasīs, vidit in substantia medullari cavitatem
amplam coagulo sanguinis refertam, quae simul
aderat cum plexus choroidis varicibus. 64)

21.

Praeterea alii tumores quoque in cerebro fre-
quenter visi sunt, dum apoplecticis insultibus aeger
decessisset. Abscessus in cerebro vidit jam
WILLISIUS: 65) confirmavit hanc apoplexiae caus-
sam suis observationibus MORGAGNIUS, 66) ut et
BANGIUS, 67) qui bis ejusmodi vitium observavit.

Steatoma aut tumorem cysticum vidit
ENGELIUS alīs minoribus ossis sphenoidēi insiden-
tem, in homine, qui apoplexia correptus dyspha-
gia laboraverat. Ab hoc enim tumore glossopha-
ryngeus nervus praepressus compressus erat. 68)
Similem tumorem cerebro incumbentem cum con-
cretionibus menyngum et serosa cerebri colluvie
vidit STOLLIIUS in cadavere apoplectici. 69)

22.

63) *Ibid.* n. 6.64) TREUTLER auctar. ad helmintholog. corp. humani,
p. 5.

65) BONET, obs. 52. p. 123.

66) Ep. II. n. 16.

67) 1784. Maj. 9. Aug. 13.

68) SCHMUCKERS Schriften, Th. I. S. 244.

69) Rat. medend, vol. VII. p. 163.

Quod vasa cerebri praesertim attingit, haec quidem plerumque turgida reperiuntur, imo saepius hic turgor vasorum unicus est status praeternaturalis, quem in cadaveribus apoplepticorum deprehendimus. Stagnatio aut extravasata saepissime deficiunt penitus, ubi hic turgor, aut varicosa vasorum cerebri dilatatio adest. 70) Non rari vero sunt casus, ubi accumulato sanguine et sero vel in ventriculis cerebri, vel in cavitatibus singularibus, vel effusis iis humoribus in superficiem cerebri, vasa vacua apparent: quae quoque inanitione solet contingere absque alio ullo cerebri vitio. Videntur vasa cerebri vacua, sanguinisque expertia BONNETUS, 71) LIEUTAUDIUS, 72) egregiumque tractatum de hac apoplexiae causa conscripsit REZOLDUS. 73) In apoplexia enim nervosa omnino absque sanguine redundante aut turgore vasorum oriri potest exhaustio subitanea virium animalium ex debilitantibus causis et spasmodicis universalibus. Hinc falluntur, qui morbum ubique ex effusis intra cranium humoribus derivare student: aequae enim frequenter pendere solet ex debilitate et inanitione vasorum.

23.

70) LIEUTAUD. histor. anatom. medic. tom. II. lib. 3. obs. 58. p. 327. ed. Schlegel.

71) Obs. 6. p. 82.

72) Obs. 55. p. 325. obs. 74. 75. p. 332.

73) De apoplexia ex inanitione vasorum cerebri. Gött. 1783.

23.

Aëre distenta esse vasa cerebri in cadaveribus apoplectorum, non raro observatum est, sicut post subitaneas mortes quoque cor cum vicinis vasibus major saepius flatibus et aëre distentum invenitur. 74) Haec quidem aëris evolutio explicari posse videtur ex summa depravatione humorum in ventriculos aut in cavitates proprias cerebri effusorum: ex qua quidem depravatione particulae humorum remotae et volatiles specie aëriiformi eliciuntur, eoque modo constituunt flatum et aërem. Eiusmodi autem depravationem humorum stagnantium aut effusorum minime posse cum vita consistere, sed ubique brevi ante mortem tantum contingere, persuasus sum: namque fermentationis quivis, vel minimus, gradus in corpore vivo nunquam oriri potest, nisi id in humoribus fiat, qui jam extra vasa effusi haud amplius dominio virium cordis subiecti sunt. Legi meretur de hac aërea aut flatulenta vasorum distentione MORGAGNIUS, qui varias etiam priores collegit observationes. 75)

24.

Vasa cerebri denique offeam aut duriorem saltem indolem nonnunquam adipiscuntur, quae quidem progressivus sanguinis motus retardatur, stasesque oriuntur aut extravasata, quae ortum apo-

74) MORGAGNI ep. V. n. 20.

75) L. c.

apoplexiae efficere possunt. Hinc praesertim in veteribus adeo manifesta dispositio ad apoplecticos insultus. 76) Vidit MORGAGNIUS carotidum parietes ossificatos, qua praesertim ad fellae equinae latera sese inflectunt. Ossa quoque substantia occaecaverat in hoc subjecto foramina quaedam minora, quae occipitales venas cum sinibus lateralibus alioquin neccunt. 77) Carotidum et vertebraliū cartilagineam aut osseam indolem deprehendit etiam in aliis casibus, ubi vel serosa aderat colluvies. 78) Vasa quoque ad cerebrum tendentia ossa viderunt BONETUS, 79) STOLLIIUS 80) cum aliis. Tumorem singularem durioris compagis ad internum parietem arteriae vertebralis observavit MORGAGNIUS immortalis. 81)

25.

Corpus callosum vidit PANAROLUS in cadavere apoplectici obiectum vesiculis subrotundis aqua plenis. 82) In striatis corporibus ulcera nonnunquam apparuerunt sinuosa, cujus sanies effusa erat per infundibulum in basin cerebri. Febre valida aeger prius correptus, deinde apoplexia

- 76) MANGET apud LIEUTAUD obs. 66. p. 330.
 77) Ep. III. n. 22.
 78) Ep. IV. n. 2. 4. II.
 79) App. obs. 8. p. 137.
 80) Rat. med. vol. I. p. 199.
 81) Ep. IV. n. 19.
 82) PANAROL. iatralogism. obs. 51. p. 123.

plexia extinctus fuerat. 83) Purulentas alias collectiones vidit idem summus auctor in corporibus friatis, quibus thalami praecipue nervorum opticorum laborasse videbantur. 84)

IV. VENTRICULI CEREBRI.

26.

Tritissima sane, lippisque et tonforibus nota animadversio ventriculos cerebri praecipuam causam materialem apoplexiae continere, quae modo sanguis concretus, jam serum coagulatum esse assumitur. Quanquam hoc quidem a veritate laud quaquam alienum est, concedere tamen debueris, multos extare casus ubi vel absque apoplexiae suspitione extravasatus sanguis aut effusum serum intra ventriculos latitaret, vel apoplexia etiam adesset, sine ullo effusorum ejusmodi humorum vestigio.

Sanguine grumoso ventriculos plenos, ex ruptis plexus choroidis vasis, viderunt RHODIUS, 85) BARTHOLINUS, 86) BORELLUS, 87) WEITBRECHTUS, 88) eaque hic quantitate, ut in dextro tantum quatuor unciae stagnarent. Saepius etiam in altero

83) MORGAGNI ep. V. n. 3.

84) *Ibid.* n. 6. II.

85) BONET obs. 10. p. 86.

86) Cent. II. obs. 60. p. 277.

87) Cent. II. obs. 34. p. 135.

88) *Commerc. liter. noric.* 2, 1734. hebd. 9. n. 2. p. 66.

altero sanguinea, in altero serosa colluvies animadvertitur. MORGAGNIUS vidit in ventriculo dextro ultra uncias binas sanguinis coagulati, in sinistro vero minorem feri copiam. 89) Sanguine atro plenissimos vidit ventriculos, ut dexter ovum galinaceum volumine referret: in ceteris ventriculis sanguis fluidus, ut serum expressum videretur. 90)

27.

Aqua suberuenta aut sero rubicundo nonnunquam turgent ventriculi, cum vasa menyngum et cerebri ipsius sanguine rubro distenduntur. Hinc meo quidem iudicio effici potest, differentiam inter serosam et sanguineam apoplexiam haudquaquam ejusmodi esse, quae alioquin crederetur. Namque turgor ipse vasorum sanguiferorum sanguinis motum retardat, ideoque secessionem partium sanguinis propiorum promovet. Lympha vero aut sero facilius secedentibus a cruore, accumulatur hi humores in cavitatibus, eoque modo serosa oritur ventriculorum cerebri colluvies. Hinc veram esse causam apoplexiae serosae serosam colluviem, atque posse ea ratione dividi apoplexiam in duas species negavit praeter veteres quosdam maxime PORTALIUS, asseruitque effici etiam serosam a sanguinis congestione, quod observationibus variis probare conatur. Sectis enim eorum cadaveribus, qui e vita decesserant, omnia prodentia signa apoplexiae

lym-

89) Ep. II. n. 9.

90) Ep. III. n. 11.

lymphaticae, purum sanguinem unice invenit aut e vasis cerebri effluxum aut in ipsis congestum, nihil vero lymphae aut feri. Hisce observationibus innixus PORTALIUS statuit, in quibuscunque apoplexiis, quas dicunt lymphaticas, secandas esse jugulares pedumque venas, contenditque hujusmodi sanguinis missiones reipsa mirum in modum aegros juvasse. 91) In laudandis venae sectionibus quoque consentit cum PORTALIO immortalis STOLLIUS 92) et WALTERUS. 93) Addit tamen STOLLIUS alio loco: vere et originarie serofas apoplexias dari: ibi venae sectionem occidere. Succo pravi et diuturna cacochyma diathesis praecedens: senectus, non cruda illa vegetaque, quae actionum integritate ipsam per saepe juventutem superat, sed fracta et imbecilla: acidulae a debilibus, feniculis largius et inconsulto potae: sanata crurum antiqua ulcera, quae serum copiosum fundere diu consueverant: humida frigidaque tempestas: corpus catarrhofum longo ante apoplexiam tempore, signa suppeditant, quibus adjutus serofam apoplexiam a sanguinea non difficulter dignoscas. 94)

28.

91) Samml. auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte, B. X. S. 559, f.

92) Praelectiones in divers. morb. chron. vol. I. p. 364.

93) De morb. periton. et apoplex. §. 66. p. 89. 90.

94) STOLL. rat. med. vol. I. p. 202, 203.

Dum vel serosa vel cruenta colluvies in ventriculis adest, plerumque parietes ventriculorum erosi aut corrupti esse videntur: quod cum WEPFERUS animadverterit, a muribus erosum videri parietem observat 95). Hanc quidem observationem antiquus ille auctor libri de glandulis, qui inter Hippocraticos exstat, jam instituit, dum a mordacitate humorum atque erosione solidarum partium apoplexiam derivaret 96). MORGAGNIUS prae aliis hanc ventriculorum arrosionem tum in sanguinea, tum etiam in serosa colluvie sedule indagavit, saepiusque invenit, plexus choroides ventriculorum eadem corrosione simul affectos esse, septum quoque lucidum inter utrumque ventriculum disruptum videri 97). Ulcus verum autem hanc arrosionem non habendam esse asserit idem, sed solam continui laesionem ab acris humoribus stagnantibus excitatam 98).

Nonnunquam vero ventriculi vero pure repleti videbantur, si apoplexia vel ab ulcere exsiccato vel per metastasin ex aliis partibus orta esset. Apud

MOR-

95) WEPFER obs. de affect. capit. 145. p. 683.

96) HIPPOCRAT. opp. ed. Foëf. sect. III. p. 57. *Εἰ μὴ δυνάσται ὁ ἐγκεφαλός, ἀποπληξία γίνεται.*

97) Ep. II, n. 9. 13. III, 3, 4.

98) Ep. III, 3.

MORGAGNIUM 99) et BANGIUM 100) exstant ejusmodi casus.

V. PLEXUS CHOROIDES.

29.

Vasorum innumerorum ex arteriae cerebri profundae et venarum ramusculis compositorum plexus in fundo ventriculorum praeter naturam sunt fere semper constituti in cadaveribus apoplectorum. Frequentissimo casu vesiculae adsunt hydatidosae, quae quandoque nucis avellanae magnitudinem adipiscuntur, ac manifesto demonstrant, vasa lymphatica omnino in plexu choroide et in cerebro adesse. Namque, quod glandularum nomine varii auctores has vesiculas insigniverint, largiendum est mancae systematis lymphatici cognitioni. Videntur itaque hydatidosae hae vesiculae referendae esse vel ad lymphaticorum vasorum dilationem vel ad vasorum sanguiferorum relaxationem et morbosam constitutionem, ubi sanguis contentus in serosam aut lymphaticam naturam degenerat: cum ROYSCHII observationibus sit evictum, vasa sanguifera in hydatides saepius transire 1). Ex FISCHERI quoque inquisitionibus notum est,

99) Ep. V. 4.

100) 1782. Jul. 4.

1) ROYSCH advers. anat. dec. II. n. 10. p. 32.

est, taeniam hydatigenam saepius nidum sibi formare his vesiculis, quibus insideat, tanquam peculiari habitaculo 2). Qui hydatidum multiplex ortus cum sit ab amico DE GREGORINI uberius expositus, superfedere huic theoriae possum 3)

Cum hac hydatidosa vasorum plexus choroidis indole simul laceratio contingere solet, cum nimia dilataio facile possit rupturam producere 4). Cum sanguinis grumosi collectione intra ventriculos anteriores tantam vasorum plexus choroidis dilatationem observavit MORGAGNIUS ut lentis magnitudinem excederent 5): alioque loco ut uvae acinos volumine superarent 6). Sanguifera quoque vasa simul turgida esse solent, cum his hydatidibus afficitur plexus choroides 7). In serosa quoque ventriculorum colluvie hydatides patitur satis numerosas et amplas plexus choroides, sicut MORGAGNIUS expertus est 8). Singularis omnino est obser-

2) FISCHER taeniae hydatigenae in plexu choroideo nuper inventae historia, 4. Lipsi. 1789.

3) GREGORINI commentar. de hydrope et hydatidibus uteri, 4. Halae 1795.

4) BONET obs. II, 12. p. 87.

5) Ep. II. n. 22.

6) Ep. III. n. II.

7) *Ib.* n. 14.

8) Ep. IV. n. II. 16.

observatio WEFFERI, plexum choroidem nempe ab altera parte fuisse vesiculis plenum, ab altera vero lapillum continuisse 9).

30.

Alloquin exsanguis et flaccidus observatur hic plexus, ut vix potuerit observari, cum scilicet laceratas effuderit totam sanguinis et feri copiam, quam continuerat, ideoque collapsus fuerit 10). Tunc quoque circa ipsum polyposae aut gelatinosae observabantur concretiones. 11)

31.

In his ventriculorum et plexuum choroidum vitii decussatio quaedam memoratu dignissima observatur, ut affecto latere altero, alterum hemisphaerium aut alter ventriculus plerumque causam contineat. Haec quidem observatio jam pridem a CASSIO Jatroso phista instituta 12), a recentioribus medicis plerisque confirmatur: ut ad chinum quendam originum nervorum concludere possimus, cui quoque opinioni non parum favet SÖMMERRINGIUS *de nervis* 13). Ut pauca tantum
C 2 exempla

9) Observ. de apoplex. p. 10.

10) WEFFER observ. de apoplex. p. 19. MORGAGNI ep. II. n. 13. III. n. 2.

11) Ep. II, n. 15.

12) Problem. 41. f. 44. b. ed. Gesner.

13) Nervenlehre, S. 130.

exempla huius decussationis in medium proferam, ad MORGAGNII experientiam provocare liceat, qui sinistrum latus resolutum vidit, cum postea dexter ventriculus cerebri sanguine grumoso refertus et resolutus appareret: qui quoque sinistrum ventriculum erosum vidit in cadavere hominis, qui dextri lateris paralyti laboraverat 14). Turgidiora idem vidit vasa hemisphaerii dextri, cum sinistro latere homo resolutus esset 15). Egregie haec confirmantur a BANGIO 16).

In ipsa denique conformatione primitiva jam hoc vitium latere, quod decussatione deinde paralytica manifestaretur, observavit STOLLIVS 17). Cum enim homo resolutus esset dextro latere, vidit carotidem et vertebralem sinistri lateris multo capaciores, multoque pluribus ramis insignitas quam arterias dextri lateris.

VI. GLANDULA PITUITARIA ET PINEALIS.

32.

Glandula pituitaria, quam equidem cum MONROO *) systemati lymphatico adnumerare a usum, invenitur in cadaveribus apoplecticorum plerum-

14) Ep. II. n. 14. 15. 16.

15) Ep. III. n. 14.

16) 1782. Apr. 6. Jul. 4. 1783. Jul. 10.

17) Rat. med. vol. I. p. 200.

*) Observ. on the nervous system, ch. V. p. 19. 20.

plerumque turgida et mucō plena, cum et plexus choroides et ventriculi anteriores serosa colluvie turgent. Retardato enim per vasa absorbentia lymphae motu accumulatur serum aut lymp̄ha in glandulis vasorum absorbentium, quod in hydrocephalo non raro etiam animadvertitur. Tumidam itaque atque mucō refertam hanc glandulam vidit MORGAGNIUS 18): rarius autem ita laesam ac lacertam, ut nullum amplius humorem peculiarem contineret 19).

Quod glandulam pinealem attinet, glandulosa hujus conarii indoles demonstrari nequit, quanquam in serosa ventriculorum colluvie aqua intumescere saepius visa fit. Alioquin compages ejus multo durior esse solet quam cinereae substantiae. Vidit autem LIEUTAUDIUS in corpore apoplectici adeo hoc corpusculum intumuisse, ut nucis iuglandis molem aequaret et carcinomatofum videretur 20). Acervulus lapidescens aut arenulis saltem refertus, qui ad conarium hocce in plurimis cadaveribus hominum, a decimo quarto inde aetatis anno animadvertitur, olim habebatur perperam praeternaturalis, atque cum multoties in corporibus apoplecticorum deprehensus fuerit, inde vel apo-

18) Ep. IV. n. 19.

19) *Ib.* n. 35.

20) Obf. 177. p. 363.

apoplexiae ortum derivare conabatur 21). SÜMMERINGII vero nostri examini curatori debemus veriore sententiam, quod nempe ad statum naturalem adultorum pertineat 22).

VII. CEREBELLUM.

33.

Eadem nonnunquam vitia patitur cerebellum apoplecticorum quae in cerebro observantur, pluries vero unica esse morbi sedes videtur.

Mollius primum ac fracidum saepius videtur cerebellum, praesertim dum sanguine concreto inundatum est 23). In inferiore superficie tantam nonnunquam continet sanguinis coagulati copiam ut duorum cochlearium mensuram superet 24). Vasa praesertim cerebri summe turgida plerumque in conspectum veniunt 25). Alioquin serosa coluvies vel circa initium medullae spinalis vel in ventriculo quarto haerens observata est 26). Purulentam quoque collectionem, aeque ac in cerebri,

in

21) Cf. MORGAGNI ep. V. n. 12.

22) NÖTHIG diff. de acervulo cerebri, 4. Mogunt. 1785.

23) MORGAGNI ep. II. n. 22. III. 6. 24.

24) Ep. III. n. 24.

25) Ep. III. n. 4.

26) BONET obs. 32. 33. p. 104.

in cerebelli superficie observatores viderunt 27). Eodem modo quoque steatomata inter cerebrum et cerebellum adfuerunt 28). Semel in corpore apoplectici naturalis omnium cerebri partium status; unicum tantum corpusculum scirrhosum sub cerebello ad internum principium medullae spinalis animadvertebatur, quod nervos comprimere necessario debebat 29).

VIII. RELIQUARUM CORPORIS PARTIUM
CONSTITUTIO.

34.

Primariam apoplexiae causam saepius in fonte systematis sanguiferi, in corde, esse quaerendam, tritissima est sententia, quae facile calculos nostros obtinebit, si statuerimus, motu cordis suppresso, sanguinis etiam circuitum per encephalum retardari ac subito saepius opprimi debere, ut cesset deinde activitas virium animalium. Hinc enormitas, ruptura cordis, aneurysmata vaforum majorum cordi vicinorum saepissime observabantur post mortem apoplecticorum. Hinc, quidquid subito ad cor repellit massam sanguinis, ut rite exercere
cordis

27) Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Aezte, B. I.
St. 3. S. 127. — BANG 1786. Febr. 4.

28) BONET OBS. 53. p. 123.

29) LANCISI de subit. mort. p. 38.

cordis musculus functiones nequeat, potest etiam apoplexiam excitare. Affectus vehementes, frigus summum, balnea frigida, constrictio extremitatum artior tali ratione videntur interneconem afferre.

LAURENTIUS jam in apoplectico cadavere invenit enormitatem cordis, tantamque aortae aneurysmaticam dilatationem, ut haec brachii amplitudinem aequaret. 30) Quod quanquam ab auctore parum fido 31) hyperbolice expressum videtur, insignis tamen dilatatio cordis et vasorum vicinorum cum sanguinis grumosa et concreta indole saepissime postea visa est, quod praefertim MORGAGNIUS testatur. 32)

Polypos autem et coagula sanguinis in vasis sanguiferis et in cordis ventriculis inveniri adeo vulgare est, ut ad hunc omnino statum morbosum applicari nequeat. Etenim in cadaveribus plerumque hominum chronicis morbis extinctorum solent coagula sanguinis inveniri, sicut jam in limine hujus commentarioli annotavimus. Ideoque nil mirum, si et in hoc morbo ereptis hominibus talem animadvertimus statum praeternaturalem.

35.

30) *Controvers. anatom.*, p. 308.

31) SPRENGELS *Geschichte der Arzneyk.* Th. III. S. 519.

32) *Ep.* III, n. 26.

35.

Alia vero cordis et systematis sanguiferi vitia magis huc pertinent. HAENIUS rigiditatem singularem ventriculi cordis sinistri, qui atro sanguine refertus erat, cum naturali omnino statu vasorum cerebri in apoplectico cadavere invenit. 33) Ad ostium aortae in singulis valvulis sarcomata inaequalia, quae in fimbriis abirent, vidit LANCI-SIUS. 34) Ossa in cordis substantia, praesertim juxta valvulas aortae, vidit MORGAGNIUS. 35) Idem singularem apprehendit aberrationem, qua apoplexia potuit partim produci. Vertebralis sinistra non, ut solet, ex subclavia, sed ex ipso aortae arcu orta erat, unde impulsus sanguinis versus encephalum eo fortior, quo magis immediate poterat sanguis e corde in cerebrum abripi. 36)

Valde amplas, aut insulis ossis intertextas apparuisse arterias et vertebrales et carotides, ita assidua fere est animadversio, ut testibus carere possimus.

36.

Adhaesiones praeternaturales viscerum et thoracis et abdominis, si flaccidae sunt aut laxae neque
vâsis

33) Rat. med. contin. vol. III. p. 366.

34) De subit. mort. p. 151.

35) Ep. III. n. 22.

36) *Ib.* n. 20.

vasis sanguiferis distinctae, haud quaquam peculiare habendae sunt hujus morbi sequelae. Alioquin firmiter pleura cum pulmonibus et cum diaphragmate cohaesisse, 37) cor cum pericardio arete nexum fuisse 38) saepius apud auctores legitur; unde efficimus, motum pulmonum et sanguinis circuitum ejusmodi firmis cohaesionibus impeditum, talique modo sanguinem in vasis encephali coacervatum fuisse.

In abdomine nonnunquam primariam apoplexiae causam haesisse, ex ipsis cadaverum sectionibus elucet. BANGIUS enim asserit, turgida vasa abdominalia, varicesque venarum se invenisse, quae excitasse apoplexiam videbantur. 39) Hinc tumor folliculosus in jeuno et ipse volvulus coli inventus est, tanquam causa apoplexiae. 40) Hinc renum tumor insignis, quo compressa aorta sursum propulit sanguinem, tanquam causa apoplexiae primaria, assumendus venit. 41) Legatur imprimis SCHRÖDERI eximius commentarius de apoplexiae

27) MORGAGN. ep. II. n. 19. --- BANG 1784. Mart. 9.

38) Ep. IV. n. 19.

39) 1785. Mart. 11.

40) BONET. obs. 41. p. 114.

41) MORGAGNI ep. III. n. 18.

plexiae ex praecordiorum vitis origine, 42) quo offenditur, apoplexiae veram causam saepissime in abdomine esse quaerendam, quamvis post mortem sanguis in cerebri vasis aut serosa colluvies in ventriculis cerebri observetur. Varia symptomata prodroma, quae apoplexiae insultum annunciant, hoc praeprius declarant: vomitus enim frequentes, spasmi abdominales, vitia haemorrhoidalia, ipsa demum frequentia apoplecticorum insultuum post voracitatem et ebrietatem argumentis esse possunt, haud ordinatum sanguinis per vasa abdominalia transitum praebere apoplexiae occasionem frequentissimam.

38.

Hinc denique luculenter patet, cur tam frequentes sint calculi et bilarii et urinarii in cadaveribus eorum, qui apoplexia decesserunt. Optime jam ortum morbi hujus ex calculosis concrementis FRID. HOFFMANNUS ita explicavit, ut ad spasmos violentos respiceret, qui stimulis calculorum excitentur, quibusque motus sanguinis per vasa abdominalia retardetur, sanguis autem propellatur ad superiores potius partes. 43) Cum praeterea calculorum generatio et arthritidis ortus coeffectus sint saepenumero status praeternaturalis abdominalis, quo motus sanguinis retardatur atque pervertitur, ex hoc fonte venit explicanda

apo-

42) Opuscul. vol. II. p. 338. f.

43) Med. ration. system. tom. IV. p. II. f. r. c. 7. §. 10.

apoplexia tantopere frequens in feniculis qui haemorrhoidali morbo debilitati incidunt deinde in arthritidem anomalam et in varios morbos cachecticos, qui fontem abdominalem agnoscunt.

Vesicae felleae calculos angulosos decem, vidit in apoplectico cadavere WEITBRECHTUS, 44) quorum duo nucis moschatae, ceteri octo cicerum magnitudinem aequabant. Eorum quatuordecim invenit COLIUS in vesica fellea corporis apoplectici. 45)

Vesicae autem urinariae calculos observarunt BONETUS, 46) BAGLIVUS, 47) et MORGAGNIUS. 48) His quidem concrementis aequo modo potest apoplexia produci, cum spasmos insignes excitent, atque cum perturbato motu sanguinis per vasa abdominalia cohaereant.

44) Commerc. lit. Noric. a. 1734. hebdom. 9. n. 2.

45) Philos. tranfact. vol. XV. n. 173. p. 1668.

46) Obs. 61. p. 128.

47) App. obs. 13. p. 142.

48) Ep. II. n. 10. IV. 13.

T H E S E S.

1. Paracentesis vesicae urinariae melius fit per intestinum rectum, quam supra sychondrofin ossium pubis.
2. Fumigatio herbae nicotianae sanis noxia est.
3. Vermes intestinales in animalibus generantur non extrinsecus ea intrant.
4. Cuivis organo in corpore humano sua est peculiaris irritabilitas.
5. Ex systematibus pathologicis morbi humorales et acrimoniae neutiquam rejici debent.
6. Curatio symptomatica non plane rejicienda est, immo saepissime unica.
7. Suicidium a medico saepissime est excusandum.
8. Gibbositas non semper est contraindicans emeticorum.
9. Calli luxuries vere negari non potest.
10. Caries et necrosis eadem passiones in ossibus sunt, quae exulceratio et gangraena in partibus mollibus.
11. Volumen venarum jugularium in inspiratione est optimum signum, quo dignoscitur labes pulmonum.
12. In vasis lymphaticis omnis omnino motus progressivus negari non potest.

HAUS-

 HAUSLEUTNERO SUO

S. P. D.

 GUIL. CAROL. ERN. LUDWIG, SILES.

Quum bonus quilibet, si faustum et fortunatum
 quid suo contigerit amico, maximam exinde laeti-
 tiam capere soleat, non est, quod mireris, caris-
 sime HAUSLEUTNER, si, hoc idem nunc evenire
 mihi, publice testari studeam. Non quidem, ut
 laudibus TE obruerem, (his enim vel omnino
 nullis vel ab alio, ac ego sum, TIBI impertitis)
 paucula haec verba doctae dissertationi TUAE
 adjicere volui, sed, quia non potui non, quin op-
 portuna hac utar occasione, TIBI, quae hodierno
 die sentiam, palam declarandi. Sunt enim tam
 multa, ut fere dubitem num possint esse plura,
 quae conjunctissimos nos reddunt sodales. Com-
 munitis est nobis patria, commune literarum
 studium, communis ejus finis, ad quae vero
 omnia arctissimum vinculum, nempe amicitiae
 adhuc accedit, quam nulli unquam nobis religio-
 sius servare potuerunt. Quid itaque mirum, quod
 e tanto saluatorum grege potissimum ego, quam
 magna hodie afficiar laetitia, TIBI significem.
 Gratulor TIBI de fumis, quibus Medicina
 pollet honoribus nunc obtinendis, sunt enim merita
 inde-

indefessi studii et assidui laboris praemia. Gratulor patriae de tali, qualem TE praestitisti medico, et cive. Gratulor denique et mihi de amico, cujus tanta est animi probitas atque dexteritas, ut in eo amando nemini unquam sim cessurus. TE eodem, quo hactenus et imposterum amore me esse profecturum, certissime persuasum est mihi. Abscamus itaque et curabimus, ut, quod juvenis juveni est pollicitus, vir viro sancte fervet. Vale.

Scribebam Hsiae, in Academia Fridericiana,
die XXIII. Jul. MDCCXCV.

Halle, Diss., 1795/1800

ULB Halle
001 938 460



3

56.

vel 18



DE
LOCIS IN APOPLEXIA
AFFECTIS

EXERCITATIO
ANATOMICO-PATHOLOGICA,

QUAM

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE,

PRAESIDE

VIRO ILLUSTRİ, EXCELLENTISSIMO,

IOANNE CHRISTIANO REIL,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT., THERAP. PROF.
PUBLIC. ORDINAR., FACULT. MED. H. T. DECAN.,
INSTIT. CLINIC. DIRECT., POLIATRO HALENSI,
IMPERIAL. ACAD. NAT. CURIOSOR. ET SOCIETAT.
HELVET. MEDIC. CORRESPOND. SODALI,

UT

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME OBTINEAT,

DIE XXIX. IULII MDCCXCV.

PUBLICE DEFENDET

EMAN. FRID. HAUSLEUTNER,
PLESSA-SILESIUS.

HALAE,
TYPIS BATHONIS.

